


Johann Nicolaus Quistorp

**Programma Qvo Ad Sacrum Paschale Et Festum Resurrectionis Jesu Christi  
Sancte Celebrandum Studiosissimi O. Academici Cives pie admonentur**

Rostochii: Typis Joh. Weplingi[i], [1704?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn893536687>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

1704. Ostern

M. 1256. 90.

Op. 1704

PROGRAMMA  
QVO AD  
SACRUM PASCHALE  
ET FESTUM  
RESURRECTIONIS



CHRISTI  
SANCTE CELEBRANDUM  
Studiosissime O, Academici

CIVES

pie admonentur,  
P. P.



RECTORE  
JOHANNES NICOL.  
QVISTORPIO, D.

P.P. PAST. NICOL ET SUPERINTENDENTE.

ROSTOCKII, Typis JOH. WEPPLINGI, SERENISS. PRINC.  
ET UNIV. Typogr.

1704.

M. 1256 90.

# Cum JESU omnia!



Leganter scribit *Athanasius*, illustrans seculum IV. veritatis ille vindex strenuus & hæreticorum inprimis Arianorum malleus fortissimus, in oratione in Assumptionem Christi: *Memoria Resurrectionis Christi arma ad victoriam*

*contra mortem hominibus porrigit.* Et jam ante citatum Tertullianus Sec. II. ornans, illustri familia Carthagine natus, literarum humaniorum & juris Romani excultor in juventute indefessus, Presbyter Ecclesiæ Carthaginensis factus, olim jam Gentilis Christianæ fidei causam, & Ecclesiæ doctrinam simul ac disciplinam ingenti zelo ad mortem usque defendens lib. de resurrect. carnis exclamat: *Fiducia Christianorum, Resurrectio mortuorum.* Fiducia hæc in Christi resurrectione solum fundata est, qui primitiæ & causa resurgentium. *Nunc autem Christus* inquit Paulus I. ad Cor. c. 15. v. 20. *surrexit a mortuis, & factus est primitiæ dormientium, qui obdormierunt.* Hactenus in allegato capite per connexum hoc suum Apostolus absurdis plurimis demonstravit: *si mortui non resurgunt, nec Christus resurrexit* v. 16. Nunc per adversativam subdit assumptionem; quæ posita & antecedens falsum, & absurda omnia evertuntur. Atqui, inquit, Christus excitatus est ex mortuis. Neq; amplius assumptionem hanc probat: sed prius abunde probatam assumit. Falsum E., quod mortui

mortui non resurgant , & sic falsum , quod vana sit  
prædicatio nostra, falsum , quod inanis fides vestra,  
falsum quod adhuc sitis in peccatis vestris , falsum  
quod in Christo defuncto perierint, falsum denique  
quod nos Christiani simus omnium hominum mi-  
ferrimi. Christus Salvator noster resurrexit e mor-  
tuis Rom. I. v. 4. & hoc in secundo Symboli Apostolici  
articulo firmiter confitemur. Surrexit JESUS noster  
ut homo , verum sola humana Christi natura non  
resurrexit, tota enim S. Scriptura  $\tau\acute{o}$  resurrexisse ex  
mortuis prædicat de ipsa Christi Persona, ut ex no-  
stro dicto & aliis abs Theologis nostris in systema-  
tibus suis adductis dictis sat patet. Resurrectio Chri-  
sti ex mortuis, est mortis & inferni victrix, & nostrum  
justificatiæ Rom. IV, v. 25. & in cit. Cap. 15. I. Epist. ad  
Cor. Interim ex mortuis non resurrexit juxta utram-  
que naturam, juxta enim quam naturam est mortu-  
us, juxta eam ex mortuis resurrexit. Resurrectio est  
secunda ejus, quod cecidit, statio. Verum Christus  
non juxta Deitatem cecidit, est enim illa immobilis:  
Sequitur E. Deitatem non resurrexisse, sed humani-  
tatem. Nervosè Damascenus lib. 3. de Orthod. fide c.  
26. loquitur: *Sciendum, quod dicimus, DEUM Carne pas-  
sum; Divinitatem autem Carne passam, aut DEUM per Car-  
nem passum, nequaquam.* Nam quemadmodum sole  
arborem superillucente , si securis incidat arborem,  
incisus & impassibilis perseverat Sol : Multo magis  
impassibilis  $\tau\acute{o}$  λόγῳ θεότης secundum hypostasim carni  
copulatam, carne patiente impassibilis perseverabit.  
Etsi vero in morte Christi facta fuerit vere animæ  
& corporis ipsius dissolutio: non tamen λόγῳ ab  
anima & corpore fuit divulsus h. e. unio naturalis  
inter

Ⲙⲓ

inter

inter animam & corpus Christi fuit dirempta, nul-  
latenus autem unio personalis τῷ λόγῳ assumptis,  
& animæ & corporis ab eo assumpti. Sic non sola  
Christi humana natura, sed Christus ipse DEI Pa-  
tris, & sanctissimæ Mariæ Virginis Filius in unitate  
sua Personæ non quidem in sua Deitate, sed secundum  
H. N. ex mortuis resurrexit. Resurrexit, resuscita-  
tus a Patre suo, ut pateat, eum Patri suo vice nostri  
plene satisfacisse, & iram ipsius omnino tranquillasse.  
Nisi enim DEUS Pater morte & obedientia Filii sui  
plene fuisset placatus, tum eum in morte reliquis-  
set. *Resurrexit, se ipsum ex mortuis suscitando* Opti-  
me id exponit *Cyrillus, Alexandrina Ecclesiæ Presby-*  
*ter seculo IV. Celeberrimus Lib. 1. in Esa. C. 9. Ex-*  
*citavit suum ipsius templum, cum ipse sit potentia Patris.*  
*Si enim ipse est resurrectio & vita, quid tandem ad vivi-*  
*ficationem desideraret vita! Et si aliorum corpora excitasse*  
*conspicitur sua etiam vi ac potentia, quidni ante aliorum*  
*corpora, suum proprium resuscitaret.* Resurrexit, re-  
suscitatus a Spiritu S., Pater, ὁ λόγος & Spiritus S. u-  
num essentia & potentia & concordia sunt, hinc ipsa  
virtus Divina resuscitatrix & ipsa resuscitatio nul-  
latenus Spiritui S. detrahi potest. Resurrexit noster  
Soter corpore humano suo substantiali, anima a  
corpore in triduo mortis soluta & localiter diffusa,  
quam corpori suo redunivit. Resurrexit in cor-  
pore, spiritualibus dotibus ornato, quibus & orna-  
bit corpus nostrum in similitudine τῆς δόξης Phil.  
III. v. 21. Retinuit clavorum fixuras & cicatrices,  
non ex necessitate, nec ex imperfectione quadam,  
sed ex liberrima voluntate, & singulari οἰκονομία, ac  
per attemperationem ad discipulorum suorum in-  
firmi-

firmitatem. *Ad dubitantium corda sananda vulnerum sunt servata vestigia.* Ait Augustinus Tract. 121. In Joh. Resurrexit potenter, sic ut modum ejus resurrectionis præter & ultra scripturam rimari & scrutari merito existimemus nefas esse. Omnia illa argumenta, quæ probant Christi resurrectionem, propria ipsius virtute factam, simul probant ipsius potentiam infinitam, si enim potentissimus atque altissimus non fuit JEHOVA, non potuisset se ipsum ex mortuis suscitare. Resurrexit nondum ostio sepulchri per Angeli adventantis opem aperto, revoluta & lapide. Nam Angelus post Christi resurrectionem demum adventans devolvit lapidem ab ostio sepulchri Matth. XXVIII. v. 2. *Augustin. Tom. IX. de cognit. vera vite c. 45. Corpus Domini, inquit, lapide clauso surrexit, & januis clausis intravit.* Alia Patrum dicta jam mittimus. Resurrexit ex mortuis *tertia die*, juxta verissimum suum effatum Matth. 12. v. 40. *Sicut Jonas fuit in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus. Tres autem dies* (inquit Theophilus Antiochenus, illustrans sec. II. cum totus Gentilismo seu Paganismo deditus, postea validissimis Christianæ fidei argumentis victus Christianus & tandem Episcopus Antiochenus factus, inter alia Commentario in Evangelia IV.) *& tres noctes a parte intelligas, & non integras: Mortuus enim est in Parasceve, qua ipsa una dies est; & mortuus fuit Sabbato; Ecce & alia dies: nox autem dominica ipsum adhuc mortuum apprehendit. Tres igitur dies & noctes a parte numerantur, quia & sic sæpe numerare consuevimus h. u. c. Noluit citius vel serius resurgere, ut veritatem suæ mortis ostenderet*

stenderet, ut efficaciam suæ mortis & resurrectionis innueret, quod una sua morte temporali, quæ fuit lux propter justitiam, duas nostras mortes destruxerit, scilicet corporis & animæ, quæ sunt tenebrosæ propter peccatum, ut scribit *Thomas* 3. q. 53. art. 2. addens, quod non oportuerit resurrectio Domini usque ad novissimum diem differri, ut confirmaretur nostra fides de veritate Divinitatis ejus. *Sic factus est primitiæ dormientium*, ut sonant verba sub initium citati Apostoli, nempe resurgendo ex mortuis, non quod primus ipse obdormierit: Nam ante Christum plurimi obdormierunt, sed quod primus suscitatus fuerit ex morte. At ne hoc quidem stare videtur, quoniam ante Christum suscitaverunt ex morte non paucos Prophetæ: *Elias* Sareptanæ filium: *Elifæus* filium *Hospitæ*, & eum qui in sepulchro ejus forte ossa contigerat *II. Reg. c. XII. v. 14. Lazarus* quoque & filius viduæ *Nainiticæ*, nec non filia *Jairi* &c. suscitati ex mortuis a Christo prius leguntur. Christus tamen primitiæ est factus, tum quia primus & solus sua divina virtute surrexit ex morte, cum omnes illi aliena, imò Christi potentia revivixerint, tum quia solus ad vitam immortalem resurrexit, cum reliqui omnes vitam rursus cum morte commutaverint. Cur vero hoc elogio Christum insigniat, ex versu 23. intelligitur. Et continet hæc ipsa vox futuræ resurrectionis nostræ argumentum & causam. *Ἀπαιχὴ* enim sive primitiæ segetum, frugum, fructuum in lege DEO oblatae, & sacratae totam reliquam massam & messem sanctificabant, teste Apostolo *Rom. XI. v. 16. Si primitiæ sanctæ, etiam massa sancta.*

Quando

Quando igitur DEO manipuli frugum vel primitiæ fructuum ex agris & hortis consecrabantur, spes certe erat lætæ messis, & plenæ collectionis mox subsequituræ ex benedictione Divina. Quoniam igitur Christus factus est primitiæ dormientium seu ex somno mortis suscitatorum, utiq; reliquam massam & messem secum quoque trahet ex morte. Acute *Thomas* 3. q. 53 art. 3. scribit: Quod Christus omnium primus resurrexerit resurrectione *perfecta*, quæ complectitur tum libertatem non solum a morte, sed etiam a necessitate & possibilitate moriendi, tum plenam cœlestem gloriam. Etsi *Henoch* & *Elias* tandemque *Moses* ante Christi resurrectionem translati fuerint in cœlestem beatitudinem & gloriam, nondum tamen omnimoda filiorum DEI gloria fruuntur, quippe quæ tum demum plene & erga ipsos revelabitur, quum nuptiæ Agni venient *Apoc. XIX. v. 7.* & cum manifestabitur Filius DEI *Rom VII. v. 18.* Cui omnes sancti obviam ibunt *1. Th. IV. v. 17.* Singulare Christianis solamen & gaudium est, Christum a morte resurrexisse, & ipsos in eo, atque resurrectione ista superata esse mala omnia, & devictum, qui mortis imperium habet, Diabolum. Græcæ hoc servant Ecclesiæ, imo *Muscovitæ* hodie in his oris viventes, ut in *Feriis Paschalis* haud alia se mutuo saluent formula, referente *Leone Allatio in Dissert. de Dominicis & hebdomadibus recentiorum Græcorum*, quam hac, fidei & lætitiæ suæ singulari tessera, *Χριστός ὁ ἀνέστη: Christus resurrexit.* Moris quoq; est apud ipsos in templo primo sacerdotes inde alios se mutuo osculari, illo dicente; *Christus resurrexit.*

*surrexit*: Respondente altero: *vere surrexit*. Et pueri tumultuario cursu parentibus, amicisque idem officium reddunt, & ab iisdem accipiunt oscula. Quin & extra templum per tres paschatis ferias eundem salutandi respondendiq; modum in salutationibus servant, viri apud viros, foeminae inter se, pueri promiscue. Sic testati laetitiam, fidem, amoremque mutuum. O Cives Optimi! Surrexit Christus, ut nobis benediceret. *Vos estis filii Prophetarum, ac Testamenti quod testatus est DEUS erga Patres vestros dicens ad Abraham. Et in semine tuo benedictio n. m consequentur omnes familia terra. Vobis Deum suscitatum Filium suum JESUM misit, qui benediceret vobis, se convertamini, & respiscatis a pravitatibus vestris* Act. III. v. 25. 26. Plura hujus generis volente DEO, audituri sumus in sacris concionibus, quibus ut frequenter operam detis, omnes pro officii ratione hortor sedulo, nec id saltem ut audiatis auribus externis, verum etiam ad internos animi admittatis: quin etiam re ipsa & opere testemini, quod vetus vitii fermentum eversum & ejectum sit, in ejus locum sinceritatis & veritatis studium successerit: quod jam non amplius in peccatis mortui jaceatis, sed DEO in sanctitate & justitia ipsi placenti vivi ambuletis, ac pro tanto beneficio gratias, quantum in hac imbecillitate nostra fieri potest, nobiscum agatis immortales. DEUS Opt. Maxim. admonitioni nostrae suae benedictionem addat, ut sit efficax atq; ita festiva huic solennitati satisfiat.

P. P. Sub Sigillo RECTORATUS  
ACAD. Fer. I. Paschat.





Quando igitur DEO manipuli frugum vel  
fructuum ex agris & hortis consecraban  
certe erat lætæ messis, & plenæ collecti  
subsecuturæ ex benedictione Divina. Quo  
tur Christus factus est primitiæ dormien  
ex somno mortis suscitatorum, utiq; reliq  
sam & messem secum quoque trahet ex m  
cute *Thomas* 3. q. 53 art. 3. scribit: Quod C  
mnum primas resurrexerit resurrectione  
quæ complectitur tum libertatem non solu  
sed etiam a necessitate & possibilitate morie  
plenam cœlestem gloriam. Etsi *Heno*ch &  
demque *Moses* ante Christi resurrectione  
lati fuerint in cœlestem beatitudinem &  
nondum tamen omnimoda filiorum DE  
fruuntur, quippe quæ tum demum plene  
ipso revelabitur, quum nuptiæ Agni veni  
XIX v. 7 & cum manifestabitur Filius DEI  
v. 18. Cui omnes sancti obviam ibunt r  
v. 17. Singulare Christianis solamen & g  
est, Christum a morte resurrexisse, & ip  
eo, atque resurrectione ista superata esse  
omnia, & devictum, qui mortis imperium  
Diabolum. Græcæ hoc servant Ecclesiæ, i  
scovitæ hodie in his oris viventes, ut in Feri  
libus haud alia se mutuo salutent formula,  
*Leone Allatio in Dissert. de Dominicis & heb*  
*recentiorum Græcorum*, quam hac, fidei & læt  
singulari tessera, *Χριστὸς ἀπέθανεν: Christus resurre*  
ris quoq; est apud ipsos in templo primo sa  
inde alios se mutuo osculari, illo dicente; *Ch*

